



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCXXIV. Ad idem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gener. Ord. Teut.  
Conradus à Tierberg. Junior XII. Mag. Prov. in Prussia.*

in latrociniiis fuerunt plenius exercitati, ut cum eo in armis irent ad vindicandam injuriam sibi factam; Qui cum venissent propè ipsius Reguli (d) habitationem, invenerunt quasi omnes nobiles vicinos Regni Lethovix ad nuptias ibidem invitatos, & dum secundum solitos mores omnes inebriati quiescerent, in stratu irruerunt in eos, & præter alios quorum multi fuerunt LXX. Regulos cum hospite occiderunt. Sponsum & Sponsam & uxores Regulorum cum familia, parvulis, & centum equos cum auro & argento & omni Domus suppellectili deduxerunt.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. CCXXIII.

- (a) Pelusa è magnis Lithvanix ducibus ortus Stroinati Daumandive filius, aut ob factiones, aut alia de causa proscriptus, inter Crucigeros exulabat, & Principatu in alienam domum derivato, ipse M. Ducis titulos privatâ auctoritate extra Patriam usurpabat. Alb. Wijuk Kojalovvicz *Part. I. Hist. Lithvan. Lib. VI. pag. 184.*
- (b) Dyvel habent Chronica antiqua, vel variante dialecto Teuffel. Kajalovvicz perperam legit *Tuvil.*
- (c) Chronicon Germ. quo Dominus Zamelius usus est, legit: Corad Teuffel oder Tubil/ Claus Stobmel. Ruder & Nakain.
- (d) Arx illa Struterie appellatur in Chronico primo Bibliothecæ Waldrodianæ.

CAP. CCXXIV.

*Ad idem.*

**I**dem Martinus cum paucis sociis exiit versus Lethoviam, & dum per aquarum inundantiam pertransisset, venit ad fluvium, qui dicitur Buka, in quo vidit navem oneratam Mercimoniis descendentem, quam secutus occultè, dum post Cœnam nautæ quiescerent dormientes, irruit cum sociis suis in eos, &

Qq

omnes

*Burchardus de Schwenden IX. Mag. Gen. Ord. Teuton.  
Conradus à Tierberg Junior XII. Mag. Prov. in Prussia.*

omnes trucidavit, & cum gaudio intrantes navem pervenerunt ad Civitatem Thorun, ibique nave & mercimoniis venditis, cefferunt in divisione cuilibet (a) XX. marcæ.

ANIMADVERSIO.

(a) Marcæ scil. argenti. Nam Chron. antiq. German. quo usus est Dominus Zamelius, legit 20. Mark lötiges. *Vid. infra Dissertat. de Re Nummaria Prussorum.*

CAP. CCXXV.

De

*Laudabili vita quorundam fratrum  
in Castro Kunnigsberg.*

**A** tempore foundationis suæ in Castro Kunnigsberg viri virtuosissimi fratres, & in armis strenui milites, habitabant in virtute abstinentiæ, Orationum, vigiliarum & genuflexionum alios excedebant. Inter quos hoc tempore fuit Fr. Albertus de Misna Commendator dicti Castri, vir DEO devotus, & in omni vita sua laudabilis. Mira facta possent de illo scribi. Refertur & indubitanter debet credi, quod ipse frater Albertus, dum esset in Juventute constitutus, datus ei fuit stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui ipsum colaphizavit. Propter quod dum non solum ter, sed pluribus vicibus, Dominum rogasset, ut auferretur ab eo, audivit vocem cœlitus missam dicentem sibi: Alberte, si vis evadere graves tentationes, debes devote singulis diebus dicere hanc Orationem: O summa caritas, da mihi rectum & sincerum desiderium pro te, & pro puritate vitæ, & purifica conscientiam meam, & libera me à pollutionibus. Quod dicitur in Teutonico (a) *Döberste Lybe/gyb uns rechten Jammer nach die/und nach einem reinem Leben/und reinige unse conscientie*  
und